



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Hierakosophion

Demetrius <Pepagomenus>

Lvtetiae, 1612

cxxvii. Ad fractas pinnas remedium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12846**

ore in loca, vnde exciderunt, inflato caprinum lac.

*Ad defluxionem pinnarum.*

**P**VLEGGII, sandarachæ scrupuli tres, croci scrupulus; ex aceti sufficientibus partibus simul coquantur, refrigerentur, deinde spongia oculi illinantur bis in die. Quod si remiges pinnæ decidunt, sandarachæ & thuris tantundem: conterantur, subigantur, inungantur pinnæ.

*Ad fluxionibus laborantem, & ob fluxiones pinnas amittentem.*

**S**I defluxionibus alarum flexus, qui est tanquam cubitus, laborat, amittit remiges pinnas. Ita curabis. Scrutator venulas adiacentes alis, ex ipsis mittito sanguinem, & postquam sanguinis paululum defluerit, aceto frigido alas foueto, vt locus obturetur. itaque fiet, vt postea neque accipiter fluxionibus laboret, neque fluant pinnæ.

*Ad fractas pinnas remedium.*

**C**VM accipiter pugnat cum præda, sæpe accidit, vt pinnas frangat, nimirum ad

M ij

terram detractus, interea dum prædam retinere conatur: aliquando ita alliditur ad perticam dum euolare contendit. solet omni naturali prudentia tegere caput, quod & obnoxium habet letalibus ictibus, ideoque aluum, latera, lumbos percussioni exponit. Id quod si acciderit, hoc remedio ei succurres, quo minus impediatur ad continuandam aucupationem. Habeto accipitris mortui pinnam, & cum aliqua frangetur, reponito ex mortuis, dextram quidem dextræ, sinistram sinistræ parti, caudam caudæ accommodans. nimirum fractam pinnam non valde prope carnem scindito ad inserendam loco illius alteram, quam de mortuo seruatum habes numerose temperatam, lino nigro liges vtramque inter se commissam.

*Ad fractas pinnas remedium.*

**V**LMI corticem & maluæ agrestis radicem ex vino veteri coquas, decocto pinnas foueas, & sanaueris. seu myrrham in pila tundito, & simul cum oui vitello stuppæ illinito, etiam cum folijs super imposito, scite ligato, auem obseruato, & sanabis.